



GEOMETRIÆ

PRACTICÆ

LIBER TERTIVS.

Earundem linearum rectorum dimensionem per
Quadratum Geometricum exequens.



*Q*UONIAM dimensio rectorum linearum per Quadrantem Astronomicum superiori lib. exposita requirit tabulas Sinuum, Tangentium, & secantium, non semper autem eiusmodi tabulas ad manum habere possumus, immo neque omnes in illis versati sunt, atque exercitati: propositum nobis tertio hoc libro est, lineas rectorum, longitudes videlicet, latitudes, altitudes, & profunditates dimeriri per Quadratum Geometricum, ubi predictis tabulis non indigemus, sed omnia per umbram rectorum, & versam; ut vocant, expediuntur. Qua tamen in re non nihil ab aliis scriptoribus dissidebimus, quippe cum aliter tam umbram rectorum, quam versam in partes diuisuri simus, quam ab illis fieri solet: ut nimirum per nostram partitionem expeditius dimensiones perficiantur; quod prudens Lector facile iudicabit, si nostram hanc diuisionis rationem cum aliorum partitione contulerit. Sed principio Quadratum Geometricum construendum est, explicandumque quo pacto tam in Quadrato stabili, quam in pendulo utraque umbra, rectorum videlicet, ac versa considerari debeat. Neque enim semper eundem situm predictæ umbræ in instrumento seruant, sed pro varietate vsuum non raro eum permutare solent, ut exiis, quæ sequuntur, liquido constabit.

QVADRATI GEOMETRICI CONSTRUCTIO.

*Compositio
Quadrati
Geometrici.*

1. Ex quavis materia solida & dura conficiatur quadratum ABCD, siue solidum totum, siue excavatum: vel potius ex quatuor regulis æqualibus AB, BC, CD, DA, ita compactum, ut omnes in vno eodemque plano existant. Deinde